



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

39. Fvgativs Bohemus cum puella Itala Augustam veniens, & aliquantulum ibi moratus coram Parocho & Testibus validè contrahit matrimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

mune est omnibus donationibus, gratijs, & priuilegijs, vt cum vnus postulauit per se vel per suum procuratorem, quamprimum alter consensum præbuit, donatio vel priuilegium suam vim & robur accipiat, antequam postulanti innotescat, propterea, quod iam ante suum consensum dederat. Hinc probabile videtur, quod in raro casu, si nimirum ex vna parte magna vrgeat necessitas, nuptias celebrandi & diu non differendi: ex altera verò parte moraliter certum sit, dispensationem à Papa iam datam esse, posse etiam licitè celebrari nuptias (& in præfenti celebratas fuisse) si impedimentum occultum sit, vel omne absit scandalum.

Ad rationem in contrarium dicimus, magis credendum esse, Papam dispensantem velle, vt dispensatio à se concessa statim valeat propter id, quod per se & suapte naturâ illi inest, quàm vt non valeat propter id, quod per accidens aliquando coniunctum esse possit.

XXXIX. *Fugatius adolescens Pragensis in Italiam à parente missus Mediolani incipit amare puellam, quam etiam in Coniugem accepisset vel Mediolani vel Praga, nisi impedimentum ab vtriusque parentibus timuisset. Simul ergò abierunt Auguslam Vindelicorum, & aliquantulum ibi morati coram Parocho & Testibus contraxerunt. Queritur, Verum matrimonium istud sic validum?*

Videtur

Videtur non esse validum. Ita Pet. de Ledesma de Mat. Q. 45. art. 5. pun. 3. Henriquez l. 11. de Mat. c. 3. num. 3. & præter alios Rota in decis. nouiss. 643. n. 2. & 3. volum. 1. Ratio est, quia habitantes alicubi animo redeundi ad propriam domum, tametsi diuturno tempore ibi habitauerint, hospites tamen sunt, & peregrini, l. 1. §. hac autem verba. V. hospes. ff. de his, qui deiecerunt. vbi hospes dicitur non habens domicilium. Atqui hospites & peregrini non possunt contrahere coram Parocho illius Parochiæ, in qua peregrinantur, vt communiter docent Theologi. Ergo, &c.

Resp. Omnino validum esse Matrimonium istud, si Augustam venerint animo habitandi ibi per maiorem anni partem; esto forte istud postea non contigerit. Ita Sanchez l. 3. de Mat. D. 23. à num. 12. Præposit. in 3. part. q. 4. de Matr. clandestino. dub. 9. n. 58. Palao Tr. 28. de Sponsalib. & Matr. D. 2. pun. 13. §. 9. n. 9. Diana P. 11. Tr. 3. Resol. 34. & plures ab his relati. Ratio est, quia tametsi ex tali habitatione proprium domicilium non acquiratur, attamen acquiritur quasi domicilium, vt conueniri inde aliquis possit. l. heres absens. §. proinde. in fine. ff. de iudicijs. Sed habitatio constituens quasi domicilium sufficit, vt per se Parochianum constituat, sicut patet tum ex argument. c. fin. de parochijs. tum ex recepta praxi quoad Scholasticos in Vniuersitatibus, Mercatores

catores in emporijs, Mercenarios in elocatione laborum suorum &c. hisce quippe solus illius loci Parochus Eucharistiam in Paschate, & Extremam Vnctionem in agone ministrat, quod signum est, illorum Parochum esse censendum Ergo &c.

Ad rationem in Contrarium negamus Maiorem, & dicimus cum Sanchez *loc. cit. n. 19. m. l. 1. cit.* domicilium habentem non sumi ibi strictè, sed vt distinguitur contra hospitem & peregrinantem. Cæterùm Basil. Pontius *de Mat. l. 5. c. 15. §. 1.* negat Min. ratus, Parochū illius Parochiæ, in qua etiam per transitum habitas, seu peregrinaris, esse tuū Parochum, & matrimonio iungere te posse. Verùm hoc communiter alij reiiciunt; nam quod Parochus peregrinantibus Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta ministrare possit, idest ex priuilegio Pontificis in fauorem peregrinorū, non autem ex eo, quod proprius ipsorum sit Parochus; vnde nulla inde valet argumentatio.

XL. Georgius Bavarus à ciue Passauiensi emit equū & doliū vini, pro illo spōdet quinquaginta florenos, pro huius singulis amphoris singulos aureos intra mensem soluturus & vtrumque auēcturus. Interea temporis nescio quo infortunio equus mortuus concidit: doliū autem vini fractum & omne vinum effusum est, nullo amphorarum numero
adhuc